

III.

Ex crassioribus plerisque substantiis, quæ sunt amarulentæ, & acres, calorificæ vibrantisque naturæ; duplex extrahendus est succus: Alius est plane elementarius, & alimentarius; felleus, terreus, Nitrosulphureus, adustus, amarulentus: morbis calidis, & biliosis minime accommodus; de quo paulo antea: Huius tamen aliquis inclysteribus abluentibus, & abstergentibus; inque fomentis externis usus est. Alius est temperatissimus, & tutissimus, saporis longe gratioris & iucundioris; Solem & Salem illum plane vivificum, penetrabilem in se continens: qui Balsamum & Saccharum vere aureolum, Solare, Salutare, siderium, & cardiacum, Alexiterium, & theriacale commode appellari potest.

De hac medicamentorum edulcatione, (ut sic loquar) veterum quorundam existat regula.

Grande magisterium est, quando edulabis amarum.

IV.

Alio modo conficienda sunt ea: quibus attenuandum, discutendum; & dissoluendum est: Illa enim quo penetrabiliora, eo meliora fuerint.

Alio modo conficienda sunt ea medicamenta; quib. densandum, adstringendum, corroborandum: Hæc dum in pulveres rediguntur tenuissimos: ita sane dissoluntur, ut sumpta, per corporis partes facillime distribui possint. Toto itaque coelo, quod dicitur, errant illi sesqui physici Vulcanici, carbonibus, furnis, & follibus tantummodo philosophantes; qui ventriculi humani, aliorumque membrorum corporis Coctionem, Alterationem, aliasque facultates, vires, & actiones mirandas, Digestorii, & Separatorii sui Vulcanici regulis stulte remetiuntur.

APOLLONIUS.

*Discite vos Spagyri: quanto discrimine distent
Vis stomachi humani: machina vestra Vitri:
Carbonis, Cordisque calor: Vulcanius ardor:
Membrorum ætherius, & visificusq; vigor.
Hæc ubi prostrata est penitus miranda facultas
Nil agit excellens omne Magisterium.
Nil profunt homini cælum, & Secreta Sophorum:
Nil rerum infelix vis ea quæ in potest.
Hæc facultates membrorum ars nulla stupendas,
Nulla equare valent organa structa Vitri.*

*Hor. Med.
par. I. c. 70*

In univ.